

Haemorrhagia intestino-hepatica, haemorrhagiarum hypochondriacarum species vulgo neglecta cujus nosologiam definitvam / [Jacob Heinrich Duttenhofer].

Contributors

Duttenhofer, Jacob Heinrich.
Sigwart, Georg Friedrich, 1711-1795.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tübingen : Schramm, 1758.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/t3e3duv2>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

HAEMORRHAGIA INTESTINO-HEPATICA,

Haemorrhagiarum Hypochondriacarum species
vulgo neglecta,

C U J U S

NOSOLOGIAM DEFINITIVAM

RECTORE UNIVERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

D O M I N O

JO. CAROLO LUDOVICO,

COMITE PALATINO RHENI VTRIUSQUE

BAVARIAE DUCE rel. rel.

P R A E S I D E

GEORG. FRID. SIGWART,

PHILOS. ET MEDIC. DOCT. ANAT. ET CHIRURG. PROF.

PUBL. ORD. MEDICO AULICO, FACULT. MEDIC. SENIORE

Pro legitime impetrandis

SUMMIS UTRIUSQUE MEDICINÆ

HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

Publici speciminis loco Tuebitur

JACOBUS HENRICUS DUTTENHOFER,
NURTINGENSIS,

D. AUG. MDCCLVIII.

TUBINGÆ, LITTERIS SCHRAMMIANIS.

Vidi in arte peritissimos huncce morbum non intellexisse,

S P I G E L.

P R A E F A T I O.



*Num quid, quidue praefari heic possim, prius, quam ipsi thematis praefixi immergar tractationi, animo mecum tractans, pau-
cula inuenio, qui contra, quam fas est, obiterque ne heic quidem aliquid tentare audeo. Legem etenim, seruandam omni-
no, in eam quoque licentiam video esse constitutam ab ac-
quioribus prudentioribusque in publicandis artis cogitan-
di praeceptis Reip. literariae LEGISLATORIBUS. Siccine?
quaerat aliquis a limine ambigens, & modeste ambigens.
Ecqua ista lex? A quibus ista legislatoribus? idem for-
te ambigere pergat. Rideat autem forsitan plane alius
hocce monitum, nimis scrupulosum illud esse, interpel-
lans, atque superaddens, seruii usque labori in nosiris
nos adstringi lucubrationibus, nostrae repugnare sentiendi
libertati, utpote excussis illis Scholasticis (ita nimirum per
contentum adpellitant res ad scholas pertinentes, ipsas-
que proinde scholas, ad illas ipsas, ut meliora discant, re-
mittendi) seruitutis vinculis coërceri nesciae, magisque
hodie quam olim, solutae (paene dixerim, dissolutae,)
quam iuxta igitur & res, in orbe litterario dicendae,
& eas dicendi methodus, & quaecumque alia litteraria
arbitraria esse debeant, litteratique sui arbitrii homines,
& eas quidem sortis exleges homines, quibus prae cete-
ris omnibus arbitrato suo vivere datum sit, nulla cautio-
num istarum ac sollicitudinum scholasticarum habita ra-*

tione. Hem ! *quid audio ! Nonne ratio ubique summa
 lex ? Istane trito illi respondent : Philosophus nil sine ra-
 tione ? En tibi philosophum sine ratione ! En forte talem ,
 qui philosophus sine pari haberi vult dicique . Mitta-
 mus hunc suis cum sociis , utpote alio ad sua , sine ratio-
 ne prolata , responso non dignum . Rationem non respue-
 re , sed petere potius , videtur prioris notae ambigens .
 Praefationes , technice dicendae pertinent , quod prolixè
 largior , ad scriptorum nostrorum accidentia , non pro-
 pria ; adeoque ipsis haudquaquam sunt perpetuae .
 Nulla istas postulat absoluta necessitas . Itane vero pror-
 sus nulla ? Certe non semper . Accidentia , inquam ,
 aut accedente , aut deficiente sufficiente inferuntur ratio-
 ne . Quis vero isthaec nostro in foro , admiserit , nisi
 Philosophus sine ratione , vel sine pari etiam visus . Quis
 sine vituperio eam sibi adrogauerit praefandi licentiam ,
 ut , num quid , quidue praefari sibi placuerit , suo ar-
 bitrio plane relictum esse arbitretur ? Vtroque modo pec-
 care complures video . Neutro autem nos in devia abripiat
 errantium auctoritas . Praefantur non tantum , ubi nul-
 la , & non praefantur , ubi legitime praefanda suppe-
 tunt , sed praefantur etiam illegitime , siue res praefan-
 das , siue praefandi modum spectes . Praefantur sua
 merita , suos patronos , gloriolae alicuius captandae gra-
 tia . Quid ? quod ipsa vulgo praefantur DIVINA NUMI-
 NA , verbis quidem , saepe satis feruidis , sed frigido sae-
 pius animo , nec alio excitati stimulo , quam quo feriun-
 tur ipsi illi , quos imitantur , consimilium praefationum ,
 frigidorumque , hisce subnexorum , suspiriolorum fa-
 bri . Praefantur & alia , sed haud raro vel nimis re-
 mota , vel penitus aliena , quin immo alienorum & alie-
 nissimorum alienissima . Ita vero praefantur & ipsi , &*

se ipsos. Atat ipsi se ipsos non modo praefantur, verum etiam se ipsos praefantur per alios, variis ad id modis conductos. Horum porro praefantium posteriores ipsi, dum alios praefantur, denuo praefantur semet ipsos. Sed manum iam de tabula, exquisitius alibi pingenda. Rectius quoque, excipis. Rectius, fateor, nisi eorum fueris ex numero, ad quos ista pertinent. Quod si fueris, cape tibi haec, nec, quae ab hoc instituto aliena esse putas, etiam ab te aliena esse cense. Rectius, addo, si praesentis instituti limites transgressus sum, & supra, quam satis est, de istis hec retuli. At hoc est, quod nego. Dantur accidentium accidentia non ubique prorsus aliena. Nec adeo ab re alienum fuisse existimaui, in ipsa hac praefatione praefationum conditionem ob oculos habuisse. De cetero me non latet, & ipsemet modo fassus sum, alibi exactius pingendam esse hanc tabulam, qua primis dumtaxat lineis depinxi, quibus exhiberi possunt, quae ruditer dixi de istis, nihil non fari nesciis, at praefandi doctissimis. Accipe nunc, quae praefanda habeo, propiora. Petiit NOBILISSIMUS DN. RESPONDENS thema, cui, publici speciminis nomine, defendendo par foret. En tale, ut ut sat graue & amplum. Petiit vero tale etiam, quod non adeo tritum esset, multumque iam cultum ab aliis. Prudenti huic desiderio ex desideratis medicis obtemperatus, ipsique optionem potestatemque rei factururus, obtuli huius census pluscula. Non minus prudenti selectu existis ipsi placuit praesens. Ecce tibi praesentis scripti academici occasionem, non qualemcumque, nec obiter arreptam, nec ex spuria, sed ex sufficiente enatam ratione! Quod si aliquid est, non dum satis culta colere ultra & excolere, plus erit omnino neglecta non negligere amplius, modo utrinque, quae excutiantur, fuerint digna,

& excutiantur legitime. Quousque, quod ad posterius
 attinet, aliis mihi que ipsi in praefixi thematis tractatio-
 ne satis sim facturus, equidem ipsemet non dum augurari
 possum. Id ipse docebit demum exantlatus labor, ex eo
 quoque metiendus sine, qui breuitatem suadet quasi apho-
 risticam. Tum vero iudicium esto penes alios. Ego cer-
 te, quod solum firmiter nunc habeo persuasum, animo,
 salutis neglectorum eiusmodi aegrorum cupido, rem
 adgredior. Neglectos aegros esse, quorum aegritudines
 in cognitione nostra medica negliguntur, quis non videt,
 quis non dolet? Neglectis aegritudinibus adnumeran-
 dam esse haemorrhagiae, quam titulus obtutui sistit,
 speciem, morbum nigrum HIPPOCRATIS aliquibus di-
 ctam, qui de isto tacent, loquuntur. Tacent autem
 omnes. Adi, si volupe fuerit, morborum interpretes,
 adi illorum principes, euolue maiora, minora, recentio-
 ra, antiquiora eorum scripta, horum indices, aut, si
 his fidem non habes, vel si, quod saepius contingit, ii
 desunt, coniectura augurare, ubi forte quid huius rei oc-
 currat (vix enim deprehendes certi ordinis rationem, qua
 deduci possis ad ipsum, quem quaeris, articulum). Si con-
 iecturam etiam te fefellisse putas, lege & perlege integra
 volumina: nusquam tamen eo, quo decebat, modo insti-
 tutam de hoc morbo inuenies tractationem, nisi forte qui-
 dem me felicius fueris. Tum vero ex aequitatis lege indi-
 cabis, me tamen de argumento eiusmodi exposuisse, de
 quo aliunde parum mihi innotuerit, quodque rarius sal-
 tem ab aliis sit excussum. Neque porro est, quod ob-
 vertas, a quibusdam tamen hinc inde, nominatim in
 articulis de haemorrhagiis, speciatim de vomitu cruen-
 to, attacta esse non nulla, huc spectantia. Si quid id
 est, parum tamen est, aut valde ambiguum, mancum
 certe

certe, minusque exactum, nec nisi obiter adnotatum, & ita leuiter dispersum, ut, quae huc forte pertinerent, colligere, si non ex τῶν ἀδυνάτων, at ex iis tamen sit, quae cum maxima coniunguntur difficultate. Noctuas itaque Athenas ferre, aut Iliada post Homerum scribere, actumque agere haud videbor, dum de neglecto hoc morbo commentatiunculam academicam conscribo. Exhibebo autem ad praesens dumtaxat eius Nosologiam nominatim definitivam, primam & praecipuam Pathologiae partem. Succedet reliqua theoria & huic superstruenda practica illius doctrina, methodum atrocissimo huic morbo mendi traditura. Castigatiora & solidiora, quam quae heic offendes, si desideraueris, abs te ista quidem exspectaueris rectius. Neque enim iuste desideraueris ab aliis, quae alii abs te desiderare nequeunt. Additis igitur addendis, demtis demendis, correctis corrigendis, mea haec potius augeas poliasque, velim, &, quod vis, habebis reciproce. Exquisitiora prohibe breuitas. Jubent hanc temporis angustiae, aliorum laborum multitudo, NOBILISSIMI denique CANDIDATI voluntas. Quod tamen rei praecipuum est, illud ita expediam, ut, quae omnino enucleatius poni potuissent, exponi & intelligi ultra possint a quouis scrupulosiori rerum pathologicarum scrutatore.

PRAECOGNOSCENDA.

§. 1. **Q**uibus praesens institutum circumscribatur limitibus, in limine illius omnino est dispiciendum. Vid. *Pantom. Erudit.* §. 8, 9, 13. *Limites legitima* alicuius *disquisitionis academicae* praecipue metimur ex *adaequato* illius *obiecto*. Quale sit illud, quod ante oculos heic habemus, ipsa dissertationis huius *inscriptio*, pro eo, ac decet, indicat. Plura quidem illa, quam quae huc spectant, offerre illa videtur. Sed ista *accidentia* sunt, nec tamen ea propter plane aliena, aut
legiti-

legitimae inscriptionis characteri repugnantia, ideoque in *prae-fatione* explicata, vbi nimirum ratio redditur, quare *morbum* hunc dixerim *vulgo neglectum*. Quid *haemorrhagiae intestino hepaticae*, quid item *haemorrhagiae hypochondriacae* nomine veniat, & quo nexu huius illa dicatur species, in *prae-fatione* non dum erat determinandum, nec dum heic illud determinare licet, vtpote quod ad propiorem ipsius morbi considerationem *nosologicam* spectat.

§. 2. Suffecerit igitur (§. 1.) heic indicasse *adaequatum* disquisitionis huius *obiectum* esse *haemorrhagiae intestino hepaticae Nosologiam* definitivam. Quemadmodum *therapia* circa remotionem morborum cognitorum: ita circa cognoscendorum indaginem versatur *Pathologia*. Haec igitur *theoreticam*, illa *practicam* euoluit *cognitionem medicam*. Haec illam supponit. Atrocis itaque huius morbi *theoriam* in praesenti praecilla adgredior. In hac vero primum locum occupet illius *Nosologia* definitiva.

§. 3. En terminos (§. 2.) quibus limitatur, quod elaborandum suscipio, *thema*. Terminos quidem, quibus me continere iubor, contineri quoque & coërceri lubenter patior *legum* in fori nostri rebus agendis, a nobilioris notae earum auspiciis scriptarum & sancitarum, neutiquam impatiens, nec iugum in istis seruandis seruale vmquam sentiens. Viam, non, qua itur, sed qua eundum est, quaero saltem, si non inuenio semper & vbique. *Methodum*, inquam, intendo, ni adsequor quidem, *legitimam*. Hanc aequae ac illegitimam alibi dixi. V. *citat.* (§. 1.) *Pantometr.* §. 18-24. *Diss. de sanatione ophthalmiae sine ophthalmicis externis* §. 4, 6. *Diss. cor humanum veri nominis antlia hydraulica pressoria.* Praef. p. 4. & §. 11-23, 61, 64, 71, 81, 136, 138, 144, 195. *Epist. ad illam.* *Diss. Tripes Heiterbacensis* §. 37. 83-85. *Diss. Polyaemiae nosologia* §. 4. Ad nauseam vsque eadem haec talia repeti quid vetat? Deprauatus multorum in hoc saeculo *Litteratorum*, non *ERUDITORUM*, *scholasticorum gustus* non nisi repetitis, iisque acerbioribus sapidis corrigi posse videtur. At at haec pungunt & aegre feruntur a non nullis, *obuertis*. Itane par-

cen-

cendum iis esse putas? Non putem. Et medelae ratio, & *genius* eorum id postulat.

§. 4. Nōui ex *istis* (§. 3.) esse quidem, qui non plane cohibere, clausamque habere possunt, quam inde sentiunt, molestiam. Dolent, sed admodum tecte dolere sese innuunt. Iniuriam expostulare apertius non audent, sui sibi conscii. Hinc nunc rident non numquam, nunc carpunt, sed tecte carpunt & timidiuscule. Mussitant, clamare non audent. Quid inde? Acuenda potius & repetenda sunt ista consilia, donec aut in gratiam redeant cum illis, sapiantque gratiora, aut clamitent tandem. Clamantibus demum alia parata sunt *Φάριμα*, lenientia forsan & mitiora.

§. 5. Quid vero (§. 3.) quantumque discriminis intercedat vulgarem inter & eam, quae nobis demandata est, rerum cognitionem, *Philosophia* docet *logica* & *symbolica*. Ex ista repetii, quae dixi citato (§. 1.) tractatu *P. 11. Sect. 1. §. 181-268*. *Vulgaris* alia est *plebeia* a plebe, alia *dialectica* ad plebem ab *erudita* proficiscens, in se tamen non *erudita*, sed ab *erudita selecta* (vnde *dialectica* audit) & ad *ineruditorum* seu *plebis captum* directa. Nonne igitur in *Eruditos* iniurii sunt isti inter *Eruditos Dialectici*, malefana suada *dialectica* ad istos sua protrudentes, sicque illos pro *plebe* habentes, vtpote non ad eorum, sed ad *plebis captum* cum istis colloquentes. Aut fallor equidem, mentisque & huius fori sum exsul, aut eorum, qui vltra plebem sapiunt, gratiam non ita exulcerandam esse recte sentio.

§. 6. Hac tanti *opprobrii euitandi* necessitate (§. 5.) nos praecipue quoque premi sub huius modi *speciminibus academicis*, vtpote quae solis excutienda offeruntur *Eruditis*, nemo non videt. Qua autem, quaeso, alia ratione euitabimus hoc *scandalum*, quo, inquam, alio a plebe moribusque plebeiis eximere ac distinguere nos poterimus caractere, si non, quam *verborum verbosiorumque signorum, rerum* potius, per illa signandarum, *distinctione ordineque*. In sola hac sane, pulcherrima pariter atque vtilissima, nec

vti vulgo putatur, adeo difficili & operosa cognitione *analytico systematica* (aptiori illam equidem exprimere nescio cognomine), omnis nostra consistit praerogatiua.

§. 7. Risum modo, modo bilem mouet peruulgatum illud: *methodum esse arbitrariam*. Ita etenim alios sibi aliisque male, se autem sui que similes sibi aliisque bene audire cupiunt ii *Dialectici* (si quidem hoc nomine dignos illos reputauerimus) qui *plebei* & *eruditi* fori *genium* discernere nesciunt, & verbis factisque ipsimet se ipsos ab iis, quibus adnumerari tamen volunt, egregie scilicet eximunt, putantes, in *Eruditorum* ciuitate, si non cuius quoduis, sibi tamen liberum esse, *dicendi scribendique genere* vti, quodcumque placuerit, modo id complacuerit aliis, suoque se commendauerit verborum locutionumque nitore & profluentia.

§. 8. In aprico positum esse arbitror, eos, qui elatiori saepius hac (§. 7.) sui suorumque existimatione superbiunt, misere decipi & decipere alios. Mirifice enim confundunt *vulgarem*, *dialecticam* nempe & haud raro *plebeiam* plane, cum ea, quae ERUDITOS decet, cognitionis ratione. Ita vero vna confundunt, quod in posteriori liberum est, cum eo, quod in ea arbitratui non est relictum.

§. 9. Suboluit nempe non nullis ex istis *Dialecticis* (§. 5.) ERUDITOS non tanta premi seruitute, vt nihil amplius liberum habeant in rebus suis agendis. Verum hoc est. At ea, quam isti sibi sumunt (§. 8.), non gaudent licentia. Sunt omnino illorum quoque & dicta & facta interdum paullo solutiora, sed in iis tantummodo, quae immutabili horum *characteri analytico-systematico* nihil derogant. Integrum ipsis liberumque est, vel *implicite contracteque*, vel *explicitius fusiusque* rebus suis *euoluendis* atque *ordinandis* inhaerere, adeoque nunc magis, nunc minus *rigorosos* se praestare. *Vid. citat. (§. 3.) Diss. cor humanum &c. §. 14-21.*

§. 10. Ea est *methodi rigorosae* interna *perfectio*, vt alia quauis, quantumuis erudita, multo sit praestantior. Vide-

ri hinc posset, praeter hanc, aliam adhibendam non amplius esse ab ERUDITIS, adeoque his neutiquam integrum esse, minus rigorosos se praebere. Verum nondum cadit haec, ipsis modo (§. 9.) concessa, *licentia*. *Rigorosa* ista dicendi scribendique ratio, *in se* spectata, alteri omnino maxime praestat. Sed *ex accidente*, quod praecipuo tamen causae momento nihil detrahit, agenda nostra metiri, liberum nonnumquam habemus, quin immo saepius cogimur.

§. 11. Is *saeculi genius*, qui omnia methodo, ut aiunt, *scientifica & mathematica* doceri inter nos cupiebat, in eo esse videtur, ut exspiret. Quid? quod parum abfuit, quin exspiraverit filius hicce ante patrem, generosum puto, qui illum inspiravit genitorem, WOLFUM. Si a MATTHEMATICIS *quibusdam* discesseris, hodiernum in quam plurimis animam ille agere videtur. An exspes vitae? Id docebit dies. Dubitaverim tamen. Interim *alius* prodiit *genius*, alio parente prognatus, nec LEIBNITIANUS, nec WOLFIANUS. Qualis iste? Difficile hoc est dictu. Est enim VARIUS, linguis, doctrinis varius. Hoc tantum dictu proclive nunc est, ab eo, si non sperni, aegrius tamen ferri *rigorosius* dicta. Nihil haec laedant generosae stirpis ERUDITOS, nobilioribus nominibus clarissimos. Id tantum volo, magis adridere plerisque minori, quam maiori, rigore prolata. Praeterea iis, qui seuerius dicta mitius ferunt, satis facere haud semper in nostra situm est potestate. Quo id enim minus fiat, nunc laboris grauitas & amplitudo, nunc temporis angustiae, nunc virium nostrarum infirmitas, solent obstare.

§. 12. Ecce tibi *triplicem* (§. 10, 11.) *formae*, qua haec dissertatiuncula comparet, (§. 3 - 8.) *rationem*, ni fallor, sufficientem. Colligam in ea, quae de praefixo *themate* (§. 1.) dici possunt, praecipua tantum. Exponam eadem *breviter*, circumcisis, quae a rigorosiori postulantur examine, at *dilucide* tamen, *distincteque & ordinate*. Vtrumque autem pro viribus. Cauebo denique, ne *rerum*, quam *verborum*, studio-

diosior, vel sermonis veneribus suspectus videar, vel dictio-
nis onere molestiam creem.

§. 13. Num digna sint, quae prosequamur, capta no-
stra consilia, in limine rerum nostrarum agendarum semper
& vbiq; vndiq; circumspiciendo, prudentia facem prae-
ferente, sollicite omnino dispicere nos oportet. Id vero
praeuidebimus demum & detegemus oculatiores, vbi deter-
minatius praefixas ob oculos habuerimus ipsas *res* nostras
agendas, illasque *agendi rationem*. Num quid igitur quidque
emolumenti praesens polliceri queat tentamen, in hisce prae-
cognoscendis V. *Pantom. Erudit* §. 6-8. praecogitari debet, &
etiam praecognosci potest. Namque, quod ad posterius at-
tinet, determinata sunt primo *finis* (praef. p. 5-7.), deinde
quod tractabo *thema* (§. 2.), & denique institutum, quo in
explanando illo usus sum (§. 3-11.).

§. 14. Indubia quidem, & sua sponte nemini non ob-
uia videtur *pathologicae* huius modi (§. 2.) tractationis ne-
cessitas, vbi quippe de hominis salute agitur. Verum non
vbiq; eodem modo & discrimine de humano luditur corio.
Quamuis igitur nullae non doctrinae *pathologicae* e rebus no-
stris sint: altera tamen altera plus, minus, momenti habet.
Cur hanc itaque prae aliis multis, iis nempe, quae non pa-
rilem habent dignitatem (quae enim aequalem habent, eo-
rum nulla datur optio & si forte quidem aliquid, quod fa-
cile concesserim, maioris dignitatis superesset illud mihi hac
vice non subiisse scito) cur, inquam, hanc istis nihilofecius
(§. 13.) praetulerim clarius nunc exponendum est. Id quod
praeterea & hoc suadet. Fac adeo manifestum esse instituti
nostri *usum*, propior tamen illius commendatio TIBI *mibi-*
que haud inutilem imprimere poterit adfectum, mihi qui-
dem, vt ad *Pathologicam* atrocis huius morbi cognitionem
eo curatius eruendam exciter, TIBI vero, vt ad eam, in
aegrotorum nostrorum salutem vltius perficiendam, du-
caris.

§. 15. Doctrinae huius eminentiorem *utilitatem* neces-
sitatemque luculenter demonstrant vrgentque a) *visceris*,
quod

quod infestatur, *nobilitas*, *b*) ipsius *morbi grauitas*, *c*) *imminentia* inde diriora *Sanitatis* *d*) *vitaeque pericula*, *e*) peculiaris illum *cognoscendi difficultas*, *f*) illius a nobis desideranda *remotio*, *g*) eademque non minus *difficilis*, *b*) principum denique in arte medica *fatale*, tironibus maxime, altum de isto *silentium*.

§. 16. Tot tantisque (§. 15.) *utilitatis* suae momentis conspicuam sese nobis offert dicta (§. 2.) doctrina. Per *singula* eundo, propius ista, expendamus. Versatur illa circa iecoris haemorrhagiam. *Iecur*, bilis officinam, ex nobilioribus esse corporis animalis visceribus, oppido manifestum est. Quo ad vitam magis necessarium, quo idcirco nobilius aliquod est viscus, eo grauiores sane ipsius sunt laesiones. Quo ergo grauioris momenti hic hepatis morbus, eo maiorum vigiliarum opus omnino est penitior illius inuestigatio. Hoc *primum* (§. cit. a.) erat.

§. 17. Verum, quod *alterum* (§. 15. *b*.) est, non modo excellentioris, quod infestat, visceris respectu (§. 16.), sed etiam, *in se* spectatus, ominosus est hic morbus. Nullum *cruentum malum* non horrendum, interaneis maxime accidens. Vitae thesaurus sanguineum fluentum audit, estque reapse. Vitali hoc latice, praeter naturae regulam aggeres suos perrumpente, & e canalibus suis effluente, vna effluit, aliena loca illo inundante & opprimente, vna opprimitur quasi purpurea corporis animalis anima. *Iecori* natura dedit *vasa* sanguifera, ortu, situ, tractu aliisque conditionibus varia, quam aliis partibus multis, multo plura, ampliora, teneriora, debiliora. *Arteriosa* purpureum humorem, altricibus materiis fetum, aduehant, visceris nutritioni impendendum. Copiosissimum praeterea ex abdomine reducem, & ex omnibus fere illius visceribus collectum reuectumque aduehant, unico in corpore exemplo, *venae portarum* propagines numerosissimae, iunctim sumtae, capacissimae, utut exilissimae in finibus suis, exsurgentes ex truncis amplissimis. Quem enim dicunt *venae portarum sinum*,

B 3
ocula-

oculatioꝝ *ἀντοψία* anatomica haud demonstrat. Reuehunt denique superstitem in iecore sanguinem *venae*, quae strictius *hepaticae* dicuntur. Siue igitur ex *hepatica arteria*, siue ex *portarum vena*, siue ex *vena hepatica* effundatur coccineus hic liquor, nusquam tamen non ominosa esse potest illius effusio. *Primum* effluuium nutrientem rorem, ad visceris huius sustentationem necessarium, secum abripit. *Alterum* utilissimi in digestionis negotio menstrui animalis fontem exhaurit. *Tertium* venosi sanguinis, reliquo refundendi, inque novos usus innouandi & adseruandi iacturam infert. Omnibus itaque, quos diximus, modis reformidandus hic est morbus omnibusque adeo quoque maiorem sui attentionem postulat.

§. 18. Excitant porro (§. 15. c.) eandem (§. 17.) tristes funestaeque eius sequelae, superstiti in ceteris partibus corporis integritati minantes, & facillime letales, quae ex ipsa iam malorum praesaga, & modo (*l. c.*) posita illius indole innotescunt, & in sequentibus suo loco explicatius dicendae sunt. Tam imminentis, quam praesentis, *periculi ignorantiam* certius grauiusque luimus. Leuius periculum haud perspicere, iam satis periculosum est, grauioris autem inscium esse, multo periculosissimum. Quo itaque vrgent magis sanitatis vitaeque pericula, eo maiori cum sollicitudine in illa inquirere nos oportet. Cuius ergo, cui salus humana curae cordique est, *Patbologi* oculos animumque in se non conuertant cruenti huius morbi pericula?

§. 19. Praeterea (§. 16-18) malum, de quo agitur (§. 2.), valde tectum detectuque difficiliter adfirmaui (§. 15.). Cognitionis huius difficultatem varia creant, praesertim fraudes. Iis nempe symptomatum vexillis dissimulatus adsurgit hic valetudinis nostrae hostis, vt, quis iste sit, difficulter exinde coniecetis. Neque his solis, sed aliis etiam signis, signat alium, aliumque simulando, dissimulat semet ipsum. Id quod *Semiologia* istius, alibi exponenda, dilucidius ostendet. Dolosus hostis, & cuius dolosus nocendi animus difficiliter proditur, eo maiori omnino cum cura est confectandus.

us. Haud igitur minori, nec abfimili cautione & prouidentia expiscari nos decet in *Pathologia* nostra subdolan, & prae reliquis inimicam nobis infensamque morborum cateruam, forsan, quam vulgo quidem creditur, longe numerosiore.

§. 20. Praeter adlata (§. 16-19.) hanc cautionem vriget inculcatque porro (§. 15. d.) ipsius *exercendae Medicinae* praecipuus *finis*, qui in sanitate vel integra conseruanda, vel laesa restituenda, adeoque in iucundioris huius vitae sustentatione & prolongatione consistit. Cauto hinc opus est, ne fraudulentus iste, quem detectum ibimus (§. 2.), hostis in praxi nostra nos fallat, fallensque, vel imminens conseruandae, vel ingruens inuadensque restituendae sanitatis praesidia eludat, nostraque consilia vel difficiliora reddat, vel plane irrita. Quomodo autem, quaeso, oppugnabimus hostem, cuius indolem, &, quibus nocet, arma, vires, insidias ignoramus. Ingruente hoste, anxie forsan quidem, sed frustra, circumspiciemus auxilia. Iuueniemus enim vel nulla, vel nihil iuuantia, vel, quod saepius accidit, plane nocentia hostique opitulancia, tandemque nos nostrosque aegrotos vbique videbimus derelictos. Quibus autem armis, quoque haec tractandi modo morbos oporteat adgredi, id vero numquam intelligemus, nisi probe quidem cognitum antea habuerimus, ipsum oppugnandum morbum. Neque illa supeditat vulgare illud, vti *materiam medicam* dicunt, armamentarium, quippe quod leuioris plerumque armaturae, vel plane aeruginosae, adparatu nimis fartum scatet. Neque tradita receptaque peruulgata eorum administratio *therapeutica*, quod operae pretium sit, facit, nisi conditio morbi & externa & interna sufficienter fuerit explorata. A morbi igitur cognitione pendent ista omnia. Tanti momenti est omnis, adeoque praesentis etiam morbi, *Pathologia*.

§. 21. Superest *ultimum* (§. 15, e.) huius (§. 20.) momentum, quod in *fatali*, non *Tironibus* solum, sed *exercitationibus* etiam *Practicis*, alto de hoc morbo *silentio* posui. Tace-

re alios, loquuntur eorum *Pathologiae*. Et propter *silentium* istud morbus hic *neglectis & desideratis medicis* recte adnumeratur (præf. p. 6, 7.). Cuius autem *theoretica*, ejusdem *practica* quoque neglecta est cognitio (§. 20.). Vtraque neglecta, necessario negliguntur quoque *Ægroti nostri*. Hos qui negligunt, noxam nocent. *Negligentiae* culpa manifesta est. Quid negligentiam istius modi foueat, ipsique infelicem ansam praebeat, ex iis, quae de fallaci huius morbi genio praelibavi (§. 9.), facili intelligitur negotio. Nullus equidem dubito, quin saepius pro alio habitus fuerit tractatusque a *Practicis*. Vnde mirum non est, parcam vel nullam illius mentionem iniectam esse in ipsorum libris. Fatale profecto hoc est silentium, &, quo fatalius est, eo minus filere nos patitur.

§. 22. Calcar insuper addunt, quod omnibus ante dictis (§. 15-21.) superaddo, aliorum quoque *exempla*, quibus comprobatur dant, non inutiles habendas esse huiusce modi tractationes. Obuios sese heic sistunt ii ipsi, quorum *Musae pathologicae* de ipso hoc pathemate silent. Licet enim de illo fileant, ipsum tamen de illo in *Pathologia medica* silentium non plane silent. Eos maxime volo, qui in articulis de aliis *haemorrhagiis*, v. c. de *deiectionibus cruentis*, *vomitu cruento*, ambigui haerent, num forte earum non nullae, quae vel ipsi tractant, vel ab aliis tractatas exemplisque illustratas referunt, ex ipso iecinore suam traxerint originem. Audiamus hoc nomine unum ETMULLERUM, qui in *Opp. ed. Lugd. 1685. p. 85. non tamen*, inquit, *semper ex splene sunt cruenti illi fluxus, uti hoc communiter existimant, quin & ex hepate, citra lienis noxam, vomitus sanguinis fieri potest. De quo confer HOCHSTETTER Dec. I. Cas. V. p. 146. Mirae sane ut subinde sunt humorum metastases & translationes, ita & vasorum anastomosēs & apertiones, Conf. de vomitu sanguineo, an ex splene, an ex hepate? SCHENCK. L. 3. obs. THONES Obs. p. 140. SENNERT. L. 3. pr. part. 5. sect. 2. c. 2. p. 507. BARTHOLIN. Cent. 3. Hist. 36. Cent. 4. Hist. 60, HORST. l. 4. Obs. 5.*

§. 23. Huc etiam (§. 22.) referendi sunt, qui explicandis *hepatis morbis* peculiarem dicarunt operam, vt MERCATUS *Opp. T. I.* MONTAGNANA in *Opp. select. LIII. Consil.* IOEL *Opp. med. 7. IIII.* SEIZIUS in *TABB. curat.* BIANCHINI in *hist. hepatica. p. 11.* Hi enim eo ipso non obscure profitentur, prae multis aliis adcuratori indagine dignos esse iecinoris morbos omnes, adeoque & hunc, tametsi hi ipsi illum praeteruiderint. *Neglectos* ab aliis *morbos* prae ceteris indagatu dignos esse, non modo per se planum est atque apertum (§. 22.), sed suis etiam id exemplis confirmant maioris nominis viri, qui prope singulari studio eos sibi sumserunt explicandos. Quorsum referri merentur CAR. PISONIS *Observ. de praeteruicis haftenus morbis, ex serosa colluue ortis.* ARNOLDI BOOTHII *Observ. med. de adfectibus omissis*, quas tanti fecit HENR. MEIBOMIUS, vt sua eas ornaret praefatione, & Helmeftadii denuo imprimendas curaret. HERM. BOERHAVII *atrocis, nec descripti prius, morbi historia. Lugd. Bat. 1724.* EIUDEM *atrocis rarissimique morbi historia altera. ibid. 1728.* Taceo aliorum alia.

§. 24. Nec ii igitur heic (§. 22, 23.) excludendi sunt, qui in eruendis morbis *abstrusis* seorsim & ex instituto desudarunt, veluti EUST. RUDIIUS, MUNCERUS, VERDERIUS, SENNERTUS, alii. *Abstrusi* enim morbi plerumque sunt *neglecti*, & *neglectos* haud negligere ulterius, praestare, quam de novo tractare iam tractatos, modo demonstratum est. Ab *abstrusis* autem probe distinguamus, oportet, *occultos*, ne oleum operamque perdamus. *Illorum* profundior quidem, at ideo tamen non omnis, negata nobis est delectio. *Occulti*, siue, vt *Pathologorum* lingua vtamur, *occultae qualitatis morbi* nullam sui praebent *manifestationem*, ne iis quidem, qui quouis Argo sunt oculatiores. Hanc igitur, vel operosissime etiam quaesitam, aut frustra adhuc expectarunt, aut pro Iunone nubem prehenderunt ii *Pathologorum* ad vnum omnes, qui *Pathologiis* suis inseruerunt articulum de *morbis occultae qualitatis*. Certe, si hoc nomine *abstrusos* indigitant, *mixus apto* vtuntur *termino*, adeoque expungendo, vt nullus

offensioni locus sit, & *data* cessent *scandala medica*, vbi tot *accepta* euitare non possumus.

§. 25. In partes meas, *auctoritate* porro (§. 22, 23.) fulciendas, traho Cel. FURSTENAU ALIOSQUE, qui circa *desiderata medica* occupati fuerunt. Hi enim omnes praecipuum quemdam *utilitatis* fructum inde emergere agnouerunt, si, quae nondum sint culta, colantur, quae neglecta adhuc fuerint, ultra haud negligantur. Certe enim *desiderata* innuunt *desideranda*, quibus, quod heic illis adnumeravi (§. 21. & *praef. p. 6, 7.*), sane non cedit.

§. 26. *Reales* sunt omnino, quos ante diximus, *usus* omnes (§. 16-23). *Formales* heic indicare meum non est. Ceterum, quum persuasum mihi sit, studia nostra ita comparata esse debere, vt non tantum rebus ipsis, sed & modo has tractandi excellant, adeoque praestantiori, quod aiunt, *materiae & formae* usu sese commendabilia reddant, in eo quoque totus ero, vt doctrina haec, reapse vtilissima, vtiliori etiam *analyseos ordinisque* habitu adornatam se sistat. Operam itaque nauabo saltem, vt faciam, quae debeo (§. 3-13.) Si, quae debeo, non praestitero vbique, mitius imbecillitas mea petit iudicium, petitque vna correctiora & exquisitius elaborata, hisce substituenda.

§. 27. Ex hisce omnibus (§. 22-26.) denique, iisque, quae, vberius de hoc morbo expendenda, sequentur, intelligimus *defectus* PATHOLOGORUM. Vtut enim subinde aliquid dixerint de isto, parum tamen illud esse, & fortassis ita parum, vt ad nihilum redigatur, exquisitior illius docebit indagatio. Nonne vero istius generis defectus intelligere, alicuiusquoque est *usus*? Certissime. Ita enim facilius abiicimus praeiudicatam illam *opinionem*, qua multi occaecati sibi persuadent, omnia, quae ad nostra cognoscenda pertineant, exhausta iam esse a Maioribus, adeoque facile aliorum, maioris famae virorum, placitis adquiescere nos posse. Sic itaque, excussa omni in rebus nostris agendis oscitantia, excitamur ad necessarium illud oppidoque utile plus vltra enitendi studium.

§. 28. *At* cuius *usus*, parci forsan, vel nullius, erit haec theoria, quae in sola ponitur speculatione (§. 2.)? Facilem aduersus haec responsionem exhibent ea, quae supra iam diximus, *Primo* enim sine *theoretica* huius morbi cognitione nulla est ejusdem *practica*, nulla proinde possibilis praxis profutura. Huius namque sola illa stabile praebet fundamentum (§. 20.). *Deinde reliquam Pathologiam* & huic superstruendam *Therapiam* DEO volente, alia occasione additurus sum.

§. 29. Nec est, cur quis *obuertat*, rarius obuiam fieri hunc morbum, adeoque *rarioris usus* esse illius *Pathologiam* in praxi nostra medica. Etiam si enim rarissimorum rarissimus esset, eo tamen casu, quo nobis oblatus fuerit, non minoris foret momenti illius, quam aliorum, frequentius obuiorum, morborum medela, quorum curam habere nos oportet. Deinde adlatum dubium erronea nititur opinione. Neque enim, quod illa quidem fert, infrequentem adeo esse hunc morbum, frequentiores illius causae, in *Aetiologia* morbi suo loco enumerandae, satis docent superque.

§. 30. Mitto futes, quas contra *methodi* nobis conuenientis (§. 6.) usum mouere solent *osores* illius, obiectiones. Dicam ipsis scripsi iam supra & alibi, iuxta ibidem citata (§. 3.).

§. 31. Ex indicatis (§. 15-27.) rationibus itaque hisce (§. 28-30.) aliisque, quae moueri possent, dubiolis indubius manet adornandae *Nosologiae* huius (§. 2.) *usus*, non modo *formalis*, sed *realis* maxime (§. 24.), isque tam *theoreticus* (§. 16-19.), quam *practicus* (§. 20.). Indiuulso nexu hic ab illo dependet. Verum ergo est, quod aiunt: bonus THEORETICUS bonus PRACTICUS, & v. v. summe autem falsum, quod ignorant non nulli ignorantiumque patroni adferunt, bonum aliquem esse posse PRACTICUM, licet is non sit bonus THEORETICUS. Sine hac *praxis* nulla, *rationalis* nempe & profutura. Tanta est solidioris *Pathologiae* vniuersae, adeoque & praesentis *Nosologiae* (§. 2.) *necessitas*. Non igitur, quod opus, sed, quod necesse est, agere videbor in neglecti hu-

ius morbi cognitione, e tenebris eruenda, peculiarem & specialiorem nunc positurus operam. Quid? quod pro neglectarum eiusmodi rerum cultura ambitiosos nos gerere, nostri maxime curatius odornandi muneris pensique esse iudico.

§. 32. Determinatis huius dissertationis a) *thematē adaequato* (§. 2.), b) huius evoluendi norma (§. 3-12.), c) vsuque, quem eius evolutio pollicetur (§. 13-31.), *altera servandae methodi lex*, quam ipsa illius inculcat utilitas (l. c. & §. 26.) *summam* nunc postulat *reliquae tractationis partitionem*, *praecognoscendis* hisce addendam. Hac enim parata via, ad inferiora pede inoffenso descendere nobis licet. *Vid. Pantom. Erud.* §. 9, 12.

§. 33. *Partitionum* fundamenta praebent praefixa nobis *obiecta*. Quemadmodum vero ubique quibuscumque doctrinis nostris *adaequata* ponere nos decet *obiecta*, ita & horum ambitum exacte adaequare debent deducendae inde occupationum nostrarum partes & particulae, summae, mediae, inferiores, ad imas vsque minimasque l. c. (§. 32.).

§. 34. Totius *Medicinae* summas & quae illius obiectum plene exaquant tres sunt partes quas constituit *morborum* removendorum, deinde quibus illi remouentur *mediorum*, & denique horum ad istos debite remouendos curatio adplicationis cognitio, adeoque ut brevius & technice rem exprimam *Pathologia medica*, *materia* sic dicta *medica*, & *therapia medica*. Eodem quo eas dixi ordine ex doctrinae ratione sese invicem quoque excipiunt nominatae *partes*. Quae vero *Pathologiae* solidioris vniuersae praecipuae sint *partes*, quo ista ordine sese invicem excipiant in *systematica tractatione pathologica*, alibi iam dixi. *Vid. Diff. Polyaemiae Nosologia* §. 11-13.

§. 35. *Prima* itaque eademque *summa* (§. 34.) totius *Medicinae pars* est *Pathologia*. Primam huius partem exhibet *Nosologia*. Secundum ista, fusius proinde heic non repetenda, *Pathologia*, quo in singulis rite tractandis morbis fungimur officii nostri ratio quadripartitum ubique postulat laborem: unde *quatuor* emergunt *pathologicae tractationis*

tionis summae partes, in quarum prima *Nosologiam*, altera *Aetiologiam*, tertia *Symptomatologiam*, & quarta *Semiologiam* cuiusvis morbi adcuratius tradere iubemur.

§. 36. *Nosologia* ad artis regulas tractanda suas iterum (§. 34, 35.) agnoscit *determinatas*, in quas secedit *particulas*, & ad illius *obiectum* exaequatas conuenientius ordinandas. *Nosologiae* nempe *obiectum* sistunt *intimiores proximioresque* ipsorum *morborum conditiones*. Hae sunt: 1) vel *primariae* 2) vel *secundariae*, siue *accessoriae*. Priorum quidem: eorum a) *internae constitutiones*, b) *differentiae*, quibus α) vel *specie diversa* determinantur β) vel *distincta*, ea maxime quae facile inuicem confundi possent, discernuntur, eorum c) *stadia* denique *diversa*. Posteriores contra *accessoriae* morborum dictae *conditiones* sunt: a) *subiecta* tam *remota*, quoad $\aleph$) *aetates* $\beth$) *sexus temperamenta* γ) *consuetudines*, δ) *vitae genera climatum* **) *diaetae* ***) *officiorum* respectu varia a) quam *proxima*, quae *sedes* morborum vulgo dicuntur, quoad partium, quibus insident varios *situs, nexus, fabricas, ususque* consideranda, b) *existentia*, c) *duratio*, d) *frequentia*, e) *aliaeque* coincidentes saepius notatuque digniores *circumstantiae*.

§. 37. Nectamen semper & vbique haec (§. 37.) omnia in quauis *Nosologia* figillatim pertractari, necesse est. Sunt quaedam illorum, quae omitti non numquam possunt, utpote vel nemini non obuia, vel ita comparata, ut ad rem haud ita multum faciant. Sunt fortassis etiam, quae hinc inde addi possunt. Quae omnia & ipse, quem tractamus, morbus, & specialior, qua circa illum versari nos decet, *prudencia* sua sponte dictitat.

§. 38. Mirum fortasse quibusdam videbitur, nullam in commemorandis praecipuis *Nosologiae* momentis. (§. 37.) mentionem factam fuisse *historiae morborum*. Equidem rectius miror ipsam hanc admirationem. Quid enim mirum, *dogmatica* in doctrina excludi *historicam*? Quis, amabo, *Medicinam* esse dixerit *Historiae*, nominatim *naturalis*, partem? Ne vnam quidem cognitam habeo illius *definitionem*,

ex qua conicere mihi licuisset, eam umquam pro *disciplina historica* habitam fuisse. Insignem, fateor, eandemque proxime ad nos spectantem, nobisque vtilissimam *historiae naturalis* partem constituit *morborum historia*. Quis autem non intelligit, ab ipsa *Medicina* plane distinctam esse *Historiam naturalem medicam*, hoc est, *morborum historiam*, seu *historiam clinicam*? Quis porro, *Medicinam historicam* medicum esse non ens, perspicit facile? Adeo lepide res suas agunt, qui in *Pathologiis* suis *morborum historiolas*, saepe vehementer mancas, peculiaris articuli pathologici loco ponunt. Observationes, experimenta, & hinc conscriptae historiae medicae fundamenta omnino praebent, quibus superstruitur quoque *Medicina*, at ipsam *Medicinam* non constituunt, quippe quae omnium consensu non *historica*, sed *dogmatica*, est *disciplina*.

§. 39. Commemoratorum (§. 36.) ergo potius (§. 38.), si non quaevis (§. 37.), in quavis *Nosologia* excutienda esse, statuendum est. Eadem eodem, quo dicta sunt ordine plerumque pertractanda esse pariter me tacente nemini non obvium esse potest. Abit illa nempe in duas principes partes, in quarum a) una cujusvis morbi *Nosologia definitiva*, b) altera vero ejusdem *Nosologia accessoria* tradenda est. Missa hac licet omnique reliqua de *haemorrhagia-intestino-hepatica doctrina medica*, e nostra tamen esse duxi jam soli hujus morbi *Nosologiae definitivae*, vtpote totius reliquae de isto *translationis medicae* vnico primo stabilique fundamento, operam hic infumere. Quemadmodum vero omnis *definitio* ex *definito* constat *legitimo*, & *notione* illius *definitiva genuina* atque *adaequata*, ita eadem hic occurrunt duo momenta praecipue expendenda & determinanda a) scil. huius morbi *character nominatim definitus*, b) illius *notio definitiva*, qua definite positi characteris huius *significatus* legitime exprimitur. *Definitis* nostris eorum subiungimus *definitivas notiones*. Praecedat itaque

P. I.

HAEMORRHAGIAE INTESTINO - HEPATICAЕ
CHARACTER NOMINATIM DEFINITUS.

§. 40. Vnicam namque eandemque certissimam, qua in campum excurrere licet *pathologicum*, viam pandunt accuratae *morborum definitiones*. Neque tamen oscitatiores nos esse decet in cognitionis nostrae *obiectorum*, praesertim quoque morborum, *denominationibus*. Condecet nos, quodlibet cognitionis nostrae *obiectum*, adeoque etiam quoduis *pathologicum suo* adpellare nomine, suo, inquam, hoc est, eo, quod ipsi reapse, saltem *loquendi usus* iure, competit, quod *tecnicum* vocatur, quatenus ab artis peritis adhibetur, & quod *fixum* in eorum Disciplinis obtinet *usum*, tametsi de cetero ipsius *artis regulis* haud ubique fuerit conueniens. Cogimur enim interdum *consuetudinis* tyrannidi obtemperare, terminosque retinere receptos, vtut minus congruos, modo non sint *vagi*, aut *ambigui*, sed stabiles *fixique*, & qui *fixos* habeant *significatus*.

§. 41. Mirum quantum peccatur vtrunque (§. 40.) in foro quoque *pathologico*. Legas fane relegasque multas multorum *Pathologias*, multo sinuosoque sermone traditas, hisque perlectis, vix animo repetere, vel alteri intelligenter dicere queas, quodnam illud proprie sit malum, de quo tot facta fuerant verba. Quin immo saepius ne de *nomine* quidem cognoueris, quem explicare volunt, morbum, vtpote tam anfractuoso, & nunc hiulco, nunc spisso nimis contextu, tamque turbido verborum rerumque inter se diuersissimarum magmate obuolutum, vt ambiguus ubique haereas, vtrum huius, an illius, nominis obuersetur morbus. Hoi! peruersa, rerum facies! Dolenda, eheu! *pathologica barbaries*, eoque, pro dolor! magis dolenda, quo coniunctiora nobis sunt, quae in illa debent tractari. Nonne hinc certum est, neglectam nimis esse, & damnose negligi, adeoque *medica inter desiderata* iure meritoque esse referendam **MEDICINAM DEFINITIUAM,**

§. 42. In vtriusque notae (§. 40.) ipsa hac negligentia (§. 41.) manifestam ac potissimam ex istis (§. 24.) causam deprehendo, cur *haemorrhagia*, de qua agimus (§. 2.), hucusque tantopere fuerit *neglecta* (§. 21. & *praef.* p. 6, 7.). Loquuntur Auctores in *articulo de haemorrhagiis* etiam de *αἷμα & χάτω* contingentibus, &, vbi de his verba faciunt, non quidem numquam, sed obiter, nec, nisi coniecturando, & dubie suspicantur, subesse tum forsan *hepatis* quoque *haemorrhagiam*. Nullus autem eorum, quod equidem sciam, occurrit, qui eam vel sui nominis fecerit, vel pro eo, ac par est, definierit, determinatiusque explicauerit. Innuere illum quidem non nulli videntur, quando aliquam hincinde faciunt mentionem e. g. *fluxus hepatici, dysenteriae hepaticae, morbi nigri HIPPOCRATIS. cet.* Verum, qui ipsorum horum *terminorum, & determinationum* eorum debite determinatas reddiderit rationes, equidem noui neminem. Alii semper alios *terminis* hisce denominari volunt morbos, nec iis ipsis, quos ita denominandos esse censent, determinatos adsignant *conceptus*. Inde non potuit non fieri, quin morbi, de quo sermo heic est (§. 2.), exquisitior doctrina negligenteretur.

§. 43. Non solum igitur promissi (§. 12.), sed & illius officii mei (§. 13.) summam (§. 39.) impleturus, scandalumque illud commune (§. 41.) aequae, ac priuatum (§. 42.) euitaturus, ante omnia (§. 40. a.) rationem reddere teneor, cur morbum, cuius doctrina nunc occupatum me tenet (§. 2.), *haemorrhagiam*, cur *intestino - hepaticam* dixerim? Cur, inquam, non hoc illoue ex istis (§. 42.), cur non eiusmodi alio, cur hoc praecise & singulariter insigniendum duxerim nomine? b) Deinde (§. 40.) significantius determinandum mihi erit, quisnam hoc nomine proprie veniat morbus, quem exprimat fixo huic *termino* adfigendus *significatus*? Sic igitur non tam *verba* sectamur, sed *rem* potius consuetamur, per illa in *reali* hac *cognitione designandam*.

§. 44. Perquam facile mihi fuisset, vel dictarum (§. 42.) aliquam, vel praeter istas aliam adoptare adpellationem. Nec defuissent, quorum praetextu earum vna alteraue potuisset com-

commendari. Certe in hoc negligentior omnium minime
ius displicuissem, qui huiusmodi adcurationis pertaesi, re
 quasi bene gesta, mox in ore calamoque habent tritum illud:
 IN TERMINIS SIMUS FACILES. Usque facilis equidem esse ne-
 queo, nec tam facilem esse me patitur illa, mihi aequae, ac
 reliquis, praescripta *artis characteristicae* lex, quae *aptos re-*
ceptosque adhiberi iubet *terminos*. Huic obtemperaturus,
 numquam mihi obtemperare possum, fateor, quin pertina-
 ciores me exhibeam in ponendis admittendisque rerum no-
 strarum characteribus. Ea igitur & heic me esse pertinacia,
 quis vituperauerit?

§. 45. Visne ad rem praesentem (§. 43.) propius spe-
 ctantem adcurationis huius (§. 44.) excusationem? Accipe
 illam. Existimare posses, *haemorrhagiam* hanc *intestino-hepa-*
ticam eundem illum esse morbum, qui a nonnullis *morbus*
niger HIPPOCRATIS dicitur. Quid? quod illam ita esse vo-
 candam, disertis verbis adferit V. C. SAMUEL SCHAARSCHMIDT
 in der Anweisung zu dem *studio medico-chirurgico* Th. II. Sect.
 III. Cap. III. §. VIII. pag. 67. Idem repetit in der *medici-*
nischen und chirurgischen Nachrichten erstem Jahrgange
 Num. LXXXVIII. p. m. 399. Nonne itaque rectius retineri
 posset hic terminus, utpote ab aliis iam receptus? Saltem
 commendare ita se videtur haec denominatio nomine HIP-
 POCRATIS.

§. 46. Verum enimvero (§. 45.) *auctoritatis* huius HIP-
 POCRATICAE praetextus, quamvis speciosus, nullo nititur
 fundamento. Memorat quidem HIPPOCRATES *nigras alui*
deiectiones Sect. VII. pag. 1068. E. N. ed. FOESII, Geneu. 1657.
ibid. 1066. D. E. F. mortem significantes. L. de rat. vict. in
morb. acut. Sect. III. p. 400. l. 22. in aestuabundis l. c. S. 2,
 73. H. Quid *ὀπόστασις μέλαινα* HIPPOCRATI sit, quid ipsi
 sint l. c. *διαχωρήματα μέλαινα*, docte explicat idem illius in-
 terpres. Earum vero primam scaturiginem in ipso quoque
 hepate esse, nusquam docet, licet remotiorem sanguinis, ali-
 bi effluentis, causam ab hepate quoque repetere videatur.
 Ceterum *denigraiones* a frigido oriundas latius dicit *Aphorism-*

17. *Sect. VII.* Τὸ δὲ ψυχρὸν σπασμούς, τετάνους, μελασμούς καὶ ῥίγεια πυρετώδεια. Immo de nigroribus in pedibus manibusque loquitur *l. c. S. II. p. 39. l. 33.* Nominatim autem differit de *morbo nigro* ab *atra bile de morbis L. II. edit. cit. p. 486. l. 48. seqq.* ibidem de *alio morbo nigro* p. 487. l. 28. seqq. inquit : Ἄλλη μέλαινα νοῦσος ὑπόπυρε & λεπτόδερμος κ. τ. λ. quem morbum conceptis verbis ita exprimit GALENUS : μέλαινα λέγεται καὶ ἡ νοῦσος οὕτως ἀπὸ μελαίνης χολῆς συνισταμένη. *Morbus igitur niger HIPPOCRATIS* ex mente huius, optimi sane, interpretis neutiquam designavit *haemorrhagiam hepeticam*, sed morbum, ex atra bile contractum. Ex hisce omnibus itaque liquido, opinor, patet, frustra heic adlegari HIPPOCRATIS *auctoritatem*.

§. 47. Ita vero, quae altera aduersus illud (45.) est responsio, ita una cadit, quae hac (§. 46.) nititur, *aliorum* (§. 45.) *auctoritas*.

§. 48. Immo haec (§. 47.) pariter, atque illa (§. 46.) eo minus ob stare nobis potest, quo vtraque (§. 45.) aliis etiam nominibus remotior est ab ea, quae quo minus a *loquendi usu* recedamus, prohibet. Communi consensu receptum, non priuato nomine qualemcumque ab hoc illoue adoptatum *loquendi modum* iubemur retinere, praesertim, ubi vel *superfluus* is fuerit, vel *aequiuiocus*, vel *minus congruus*.

§. 49. Ad exprimendam autem (§. 48.) hanc *haemorrhagiam* nullo modo apta foret illa (§. 45.) denominatio. Sanguinis, qui elicitor, nigror nondum sufficientem praebet illius rationem. Nigrescit enim demum vel aliis commistus, vel sola mora in alienis locis haerens, floridus ab initio emanans, & forsan saepius dilutior longius prouectus. Deinde multiplices aliae dantur *denigrações*, quae totidem *morbos nigros* exhibent. Adeo absonum atque ambiguum esset, ideo hunc morbum speciatim dicere *morbum nigrum*.

§. 50. Porro (§. 46-48.) adeo *aequiuiocē & vage* loquuntur AUCTORES, qui post HIPPOCRATEM morbi huius mentionem faciunt (§. 45.), ut, istis in diuersissima abeuntibus, non habeas : quorum consensu *loquendi usum* aliqua stabilire possis

possis auctoritate. Quidam nempe, vti SCHAAARSCHEMIDIUS (§. 1. c.) alique, *morbum nigrum HIPPOCRATIS* ipsissimam hanc esse *haemorrhagiam hepaticam* adferunt. Quam vero sententiam HIPPOCRATICAM non esse, ex ipsius HIPPOCRATIS ore modo (§. 46.) audiuius, simulque intelleximus, eam, si vel maxime tribui posset HIPPOCRATI, nihilo tamen secius admitti haud posse (§. 47-49.).

§. 51. Alii (§. 45, 50.) alios hoc nomine indicari volunt morbos. Breuitatis ergo pauca dumtaxat addere liceat huius *dissensus specimina*, eademque, quod mireris, *academica* maxime. In B. FRID. HOFFMANNI de *morbis ex vitio hepatis* dissertatione, quam Hal. Magd. 1726. tuebatur CHR. FRID. ZIMMERMANNUS, pag. 13. haec leguntur: *si vero non modo ventriculi, sed etiam intestinorum, maximeque ilei, in quo maxima membranarum teneritudo, vasa perforantur, MORBUS, ab HIPPOCRATE NIGER dictus, infestat, quo praeter sanguinis vomitum, per alui secessum faeces nigrae & foetidissimae, funesto plerumque euentu, deiciuntur.* Heic ergo excluditur sanguinis ex ipso iecinore fluxus, nec reliqua citatis (§. 46.) HIPPOCRATICIS vbique respondent.

§. 52. Videtis mox aliam (§. 51.) & sub eodem PRAESIDE adstructam quidem defensamque, at ab hac plane discedentem *Patbologiam*, quam in sua, *de vomitu cruento*, disputatione, *ibid.* anno 1729. ventilata; proposuit ERN. EMAN. GULTORF. Nec, inquit hic, *silentio heic praetereundum est*, DOMINICUM PANAROLAM *adfectum nostrum* (vomitum puta cruentum. En! nouum (§. 50.) dissensum) *cholera adpellare sanguineam*, eo quod pars cruoris simul per aluam descendat. Sed discernere hos morbos conuenit, illamque ad haemorrhagias potius referimus (quo iure (§. 41.)? ni admiseris trita ista (§. 41.): dico, dicimus, dicunt) *morbumque nigrum HIPPOCRATIS cum aliis* (quibus? certe non cum PRAESIDE (§. 51.) Sed hoc parum referret, si cetera essent paria. Nec meus quem ad cinneres tamen veneror, mecum olim plane consentiebat PRAESES in sua ad *Diff.* qua *specimen ophtbalmiologicum* exhibui *Epist. gratulat.) nuncupamus.* DICIMUS, scilicet! Neque vero *morbis niger*

HIPPOCRATIS dicit *choleram sanguineam* (4. 46.) neque haec speciatim *haemorrhagiam*, quam intendimus, *hepaticam*.

§. 53. Eadem (§. 52.) chorda HIPPOCRATICA oberrare (§. 50.) videtur CASPARUS RODRIGUEZ de PAYUA qui in *epicrisi critico-apologetica de affectu atrabilario, mirachiali, siue de morbis cerebri & mentis*, qui extra cerebrum originem ducunt, Romae 1751. edita, p. 27. dicit, dicique ab aliis adferit, morbum HIPPOCRATIS nigrum eum ipsum esse, qui alias *bilis atrae turgentis* nomine venire soleat.

§. 54. Cel. BARONS in sua ad *Academiam scient. Regiam Parisiensem* de rariori & singulari ventriculi morbo relatione pro morbo Nigro Hippocratis habet vomitum cruentum, quo praeter sanguinis grumos membranacea frustula & alia quae ipsi Hepatis portiones visa sunt, concrementa eiecta sunt. V. Auserlesene Abhandlung, welche an die Königl. Academie der Wissenschaften eingesendet worden Thl. II. Aut. FERD. WILH. BEHR Leipz. 1754. IOH. de DIEST. *Qu. med. An. raro haemorrhagiis adstringentia.* Lut. Baris. 1741. §. I. Quum, inquit, tractis in consensum diaphragmate & musculis abdominalibus, molestam molem, atro-rubentes grumos e sinu suo expellit ventriculus, pleno ore euomendos, cruentus adest vomitus. Huic si accesserit nigra picique similis & graeolens alui deiectio, niger Hippocratis morbus est.

§. 55. Propius (§. 50-54.) a veritate abest, quod recentissime de morbo nigro HIPPOCRATIS dixit doctissimus Auctor inauguralis suae de vomitu cruento, plerumque per se non letali, dissertationis, quam sub praesidio ILL. ANDR. CL. BÜCHNERI, Hal. Magd. 1752. tuebatur IOH. HENR. LICHTENBERG, qui §. XVII. talis, inquit, indolis maxime est illa vomitus cruenti species rarior, immo rarissima, ubi sanguis instar roob sambuci non per superiora solum e ventriculo per viam plane praeternaturalem, sed etiam per inferiora reiicitur, quae iccirco communiter MORBUS NIGER HIPPOCRATIS adpellatur, & tantum non semper nanciscitur letalem eventum, praesertim, si laesiones viscerum, lienis nempe, HEPATIS, mesenterii, pancreatis (utpote quae haec plerumque in causa sunt) ita sunt comparatae, ut nec vi naturae vitali, nec arte medica sanari possint.

§. 56. Nec plane quoque, (§. 55.) ut ista, (§. 47-54.) ab HIPPOCRATIS mente abludunt, quae noster RUD. IAC. CAMERARIUS de morb. HIPPOCRATIS nigra habet in docta & utili de *aluo haemorrhousa* disputatione, a. 1721. quando pag. 18. alius inquit, *solet morbus niger HIPPOCRATIS ab isto excretorum colore dictus, deduci ab hypochondrio sinistro, seu referri ad lienem. Sed huius adfecti signa hoc in casu non comparebant. Potior hypochondrii dextri, & eorum, quae sub isto latent, habenda ratio.* Inde vero non dum inferre licet, haemorrhagiam, quam ob oculos habemus, hoc nomine esse adpellandam (§. 50.).

§. 57. Taceo, tacere hunc *morbum HIPPOCRATIS nigrum* plerosque Pathologos, qui patris sui, quem HIPPOCRATEM dicunt, haud bene memores, vel, quod, quantum ipsi debeant, non agnoscunt, vel, quod, quae dixit, non intelligunt. Quae igitur heic auctoritatis ratio? HIPPOCRATIS auctoritas huc trahi nequit (§. 46.), cadit, quae hac nititur, duplici impetu (§. 47. 48.). Multi ambigue & diuersissime explicant, quem dicunt, *morbum nigrum HIPPOCRATIS* (§. 50-56.). Plerique vero plane nihil de isto habent. Auctoritatem vero *terminis technicis* praeter eorum *aptitudinem* conciliat *frequentior usus loquendi* (§. 40.). Ergo heic nulla, vel infirma admodum, immo infirmissima, suppetit auctoritatis ratio, ex qua *haemorrhagiam*, quam nunc expendimus, *hepaticam* (§. 2.) pro *morbo nigro HIPPOCRATIS* habere liceat.

§. 58. Ita vero (§. 57.), quod silentio praetereundum non est, iucunde, commodeque ac tuto multos praeternauiamus scopulos pathologicos, in isto dissensu (§. 45-56.) obiectos, nec quidquam detrahimus HIPPOCRATIS auctoritati (§. 46-50.), quam prae multorum ipsius filiorum auctoritate (adrogantia paene dixerim) sartamtectamque esse, & saluam conseruari, fas est.

§. 59. Quod si igitur morbus, quem rimamur (§. 2.), non est *morbus ille niger HIPPOCRATIS* (§. 45-48.), is forsan erit ille, qui ad quorundam placita dicendus esset *dysenteria hepatica*. Id innuere videtur *disputatio illa fluxum hepaticum exhibens*, quam sub V. C. IOH. ANDR. FISCHERI praesidio tuebatur *Erfordiae* 1728. AUG. CHRIST. EILHARD, ubi prima

thesis ita habet: *Fluxus hepaticus*, qui HIPPOCRATI L. 2. *Epid.* δυσεντερία ἀνὰ ὀδύνης, *dysenteria sine dolore*, a GALENO L. 6. de loc. adf. vocatur *dysenteria hepatica*, & l. 5. de sympt. caus. ἡπατική ἐκκρεσις καὶ αἱματώδης, *excretio hepatica & sanguinolenta*.

§. 60. ILL. HERMANNUS BOERHAAVIUS in *Aphor. de cognoscendis & curandis morbis* §. 450. ubi de hepatis ad concipiendos in aliaque viscera transferendos morbos adeo proclivi indole conqueritur, tandem: *quae dysenteria hepatica?* quaerit, nil respondet. An dubius? Ad hoc respondebunt ILLIUS DISCIPULI. Equidem respondeo: Aut non illa, de qua heic agitur, aut non ita dicenda, haemorrhagia.

§. 61. MICHAEL ETTMULLERUS *Cap. VII. Artic. de dysenteria. Opp. p. m, 105.* *Dysenteriae*, inquit, *species est iste fluxus*, qui propter hepatis imbecillitatem fieri dicitur, & alias *fluxus hepaticus dicitur*. Verum enimvero & haec aequae, atque illa (§. 59.) denominatio doctrinae rationi iuxta & loquendi vsui repugnat. Recepto enim ab omnibus Pathologis more *dysenteria* angustiori sumitur significatione. Non omnis est cruenta, &, quae cruenta est, non purum dicit sanguinis fluxum, multo minus ex hepate oriundum, nec *fluxus hepaticus* idem designat, aut pro *specie dysenteriae*, quae semper dolorifica & torminosa est, haberi potest, quum hic omnium consensu eius modi torminibus haud faeuat.

§. 62. Num ergo (§. 61.) *fluxus hepaticus* illud ipsum malum est, de quo dispicitur (§. 2.)? Nonne igitur sine ratione alio id insignitur nomine? Nil nos ferit haec *obiectio*. Primo enim *fluxus hepaticus* alius quoque esse potest, quam *cruentus*, v. gr. *serosus*, *purulentus*, &, quod primo ponendum erat loco, *biliosus*. Ita non satis exacta foret haec denominatio. Deinde ne legitime quidem diceretur *fluxus sanguinis hepaticus*, quoniam alii quoque dantur sanguinis fluxus in hepate & ex hepate, naturales & praeternaturales. Denique *fluxus sanguinis* magis quidem latine, at minus *technice* diceretur. *Haemorrhagiae terminus* pathologicus est, adeoque hoc in foro *technicus*.

§. 63. Accedit hisce (§. 60-62.) quod in doctrinis *Pathologorum dissensus* heic regnet illo (§. 50.) longe maior, immo tantus, vt, num reapse aliquis sit morbus, de quo sub hoc nomine tantum verborum faciunt, omnibus perlectis, tandem dubitaueris, adeoque ad NON ENTIA PATHOLOGICA, quorum maior, ac vulgus quidem credit, est numerus, facile retuleris. Ne iusto durius haec dici dixeris, considera, si placet, denominationem illius, eamque cum explicationibus, quas nobis de isto suppeditant, confer. In *definito* dicunt *fluxum hepaticum*, in *definitione* autem nihil quidquam de illo habent, sed tantum non omnes de fluxu; non ex hepate, sed aliunde orto, loquuntur. Absonam hanc absurdamque Pathologiam ex parte saltem perspexisse iam videtur laudatus ETMYLLERUS citato loco (§. 61.) in Artic. *de fluxu hepatico p. m. 122.* quando dicit: *Ad deiectiones alui cruentas pertinet etiam fluxus hepaticus, ita veteribus dictus, quando sanguis aquosus, tenuis, atque, vt vocant, loturae carniū similis, absque doloribus per aluum copiose excernitur. Adpellationis ratio ex falsa hypotbesi desumpta est, quod nempe hepar sanguificet, adeoque ex deficiente sanguificatione in hepate hunc fluxum oriri voluerant. Sed talis fluxus hepaticus veterum est re vera NON ENS.*

§. 64. VARANDAEUS integrum de *fluxu hepatico* tractatum conscripsit, multisque pauca dixit, quae lectori, quod est satis, facere possint. PETRUS IOH. FABRI adnotavit *fluxum hepaticum*, ex potu aquae frigidae & vsu lactucarum cum aceto multo curatum, praeuia purgatione, ex extracto rhabarbari, Tra. corall. cum aqua cinnam saepius capta. *Morbi* incerti nominis incerta curatio. B. BARBETTE *fluxum hepaticum* pro specie *fluxus haemorrhoidalis* habet. *Pr. l. 4. c. 6.* GALENUS *L. 5. de loc. adf. c. 7.* illum quaerit in deiectionibus aluinis, loturae carnis similibus, ab intemperie frigida & imbecillitate hepatis productus. IOH. HENRICUS SCHULZIUS in *Patbol. Spec. Cap. XII. §. 141. p. m. 205.* BARBETTE sententiam retinet, dicens: *Fluxus hepaticus est nil ab haemorrhoidibus diversus, & secundum omnes circumstantias eandem observationem postulat.* In noua illa *Pathologiae delineatione*, Ro-

stochia

stoeckii 1755. publici iuris facta, §. 250. *fluxus hepaticus diarrhoeae* species pronuntiatur. Alii *dysenteriae* speciem eum esse docent, ut videre licet ex iis, quae supra citauimus (§. 59. 61.). Adeo *variant Auctores nomina resque, sed confuse ita variant, sicque variando misere confundunt, confundunturque.*

§ 65. Nec dum huius dissensus (§. 63, 64.) satis est. Ad plane repugnantia is adscendit. Alii quippe in *fluxu hepatico* hepar non adcusandum, alii e contrario adcusandum esse contendunt. Inter priores militant MARCELLUS DONATUS, DOLAEUS, BARBETTE, SYLVIUS, alii. Hi igitur lepide quasi demonstratum eunt, morbum, quem dicunt hepaticum f. hepatis morbum, non esse hepatis morbum, suae ipforum linguae vitium perpulchre eloquentes. Eo repugnantiae procedit quorundam dicendi licentia (§. 41.), qui lingua sua volubili toties obuertunt repetuntque illud: INTERMINIS SIMUS FACILES (§. 44.)

§. 66. In ambiguo mecum (§. 64, 65.) heic haeserint scitius dicta audire & curare soliti, qui fieri possit, ut solemnior haec dicam, an insolentior, non tantum sermone, sed & reapse, *barbara dicendi consuetudo* obtinuerit, immo inualuerit, nec exoleuerit hodiernum. Fateantur igitur, praeclaros istos superiorum *artium*, attamen ne dicendi quidem artis peritos, *Magistros*, utut *experientissimos excellentissimosque visos dictosque*, ad inferiora reuocandos & amandandos esse subsellia, in quibus non tam *rhetorica*, quam potius *philosophica*, traditur *Philologia*, ut, hocce tirocinio subacti, *erudite loqui* discant. At at hoc, *eho!* dictu factuque quam difficile! Dixerint propterea citius, huius consilii ambigui, mitius & honorificentius tamen excipiendos atque exculpandos esse scilicet! *doctissimos* hosce, *docere* tantum *nescios*, & tanto vastissimarum scientiarum adparatu obrutos *Polyhystores*, ut, *quae sciunt, eloqui nesciant*, quamuis, quae sciunt, alios quoque scire velint: vnde nos Germani dicimus: *Er ist ein grosser, gelehrter Mann, er weis viel: er kan es nur nicht an den Mann bringen; er kan es nicht sagen.* h. e. hic, *iste est vir multae eruditionis, eruditionem vero suam*

suam cum aliis communicare nequit. Seu : Multa scit , sed , quae scit , eloqui nescit. SCILICET ! Plura , fidem Numinum ! neque scimus , neque sciri a nobis oportet , quam quae eloqui scimus & possumus , ubi debemus. Hoc nomine valet illud PERSII :

Scire tuum nihil est , nisi te scire hoc sciat alter.

Quae nil opus est sciri , ea nescimus utiliter : at , quae sciri opus est , sibi soli scire , crimen est. Quis non patitur facile , se mecum ita moneri & excitari ?

§. 67. Ad rem praesentem (§. 62-65.) reuertor , in qua praeterire nequeo , quae in dissertationis HOFFMANNIAE loco citato (§. 51.) leguntur , conceptis verbis huc transferenda , & in sequentibus ad aliorum explicationem excitanda. Haec ista : *Accedit denique subcruentum illud alui profluuium , in Medicorum scholis fluxus hepatici nomine notum. De huius origine & causa magnus inter Medicos viget dissensus , dum quidam dysenterici , quidam haemorrhoidalis fluxus speciem esse volunt , non nulli hepar adcusant , alii denique ad intestinalia & mesaraica vasa eius ortum referunt. Verum licet ingenue profiteamur , nos hunc adfectum numquam obseruasse (§. 21.) , praeter symptomata tamen , ut morbo huic propria , passim ab AUCTORIBUS exposita , dissectio defunctorum luculenter testatur , in hepate eius sedem esse constituendam. Vberrimam enim obseruatores BONTIUS de Med. Indor. L. III. obs. VIIII. MANGETUS bibliothec. pract. tom. II. BALLONIUS L. I. Consil. 63. alique , in BONETI sepulchreto adlegati , fidem faciunt , in fluxu hepatico interentis semper erosum ac putre , immo eodem , quod in viventibus successerat , liquamine subcruento , loturae carniuum simile diffluens , repertum fuisse. Quare proxime ad veritatem accedere videtur sententia BIANCHI , quam in hist. hepat. p. 172. & 455. seq. promit , adferentis : fluxum hepaticum oriri , quando sanguis , serosa colluue redundans , ad hepar per portam aduebitur , & in eius compage lentius cursum conficiens , dissoluta magis crisi ipsos canales laxat , continuos portae ramis biliares ductus subit , & , absorpta bile , per hos ad duodenum defertur , ac demum per anum secedit. Catarrhum ideo hepatis hunc fluxum vocat , qui , si diutius visceri incumbit , sensim ipsam substantiam eliquat , &*

acrimonia sua exedit, ut corrumpatur & tabo diffuat. Curationem ita instituendam esse praecipit, ut curata labis in hepate habeatur ratio, obstructum expediatur, laxum firmetur, serosa colluvies subducatur & acrimonia inuertatur, quae an experientia confirmetur, iis, quibus hic morbus sanandus offertur, ulterius explorandum relinquimus.

§. 68. Pauca habeo, quae ad ista (§. 67.) monere possim. Priora cum iis, quae de illo dissensu dixi (§. 62-66.), consentiunt. Posteriora propius ab iis distant, quae de *haemorrhagia intestino hepatica* porro dicturus sum. Vtraque igitur in partes meas trahere licet. In eo tantum inde discedo, quod, hanc ideo tamen *fluxum hepaticum* dici posse, negem. Nec obstat adserto consensui leuior hic dissensus. Rationem huius iam dedi (§. 62.).

§. 69. Ex hisce omnibus (§. 62-69.) conficitur, *haemorrhagiam* illam, quam expendimus (§. 2.), hepaticam non esse eum morbum, qui *fluxus hepatici* nomine alias solet venire.

§. 70. Forfan denique illa (§. 69.), ea est morborum species, quam BIANCHI adpellat *catarrhum hepaticum* (§. 67.). Proxime a veritate abest haec sententia. Nec tamen plane responderet *artis regulis*, hoc dicere. Repugnaret id ad minimum *usui loquendi*, secundum quem *catarrhus* in *Pathologia* angustiore sumitur significatione. Recepto enim dicendi more non sanguineam, sed *serosam* potius, is designat *fluxionem*.

§. 71. Iam, quae animo calamoque concepta habeo, sic colligo: Si *haemorrhagia* illa, quae considerationis nostrae *obiectum* constituit (§. 2.), neque *morbum nigrum* HIPPOCRATIS (§. 45-58.), neque *choleram sanguineam* (§. 51.), neque *dysenteriam hepaticam* (§. 59-61.), neque *fluxum hepaticum* (§. 8. 62-68.), neque *catarrhum hepaticum* (§. 69. 70.), neque denique *alium*, quod quidem nobis cognitum sit, recepti nominis morbum exhibet: in illa designanda, nihil nobis *difficultatis* parit *usui loquendi*.

§. 72. Hoc non obstante (§. 71.), *primaria artis characteristicae* regula postulat, vt apta feligamus ad res signandas *signa*, h. e. istas *clare*, *pulbre*, *exacte* & *usitate* exprimentia, adeoque nec *peregrina*, nec *obscura*, nec *barbara*, nec *aequiuoca*, aut *vaga* (§. 40, 44.). Ita vero, sin minus per omnia, at a potiori tamen, comparatum esse *characterem*, quo, quem heic expendo, morbum exprimo, vix ac ne vix quidem in dubium poterit vocari.

§. 73. Tuentur hunc (§. 72.) ex vna parte, quae hactenus *remotiuè* dicta sunt (§. 44-71.). Nunc eundem altera ex parte *positiuè*, quod aiunt, tueri, haud erit difficile. *Haemorrhagiam* adpellamus morbum nostrum, *termino* vbi-que recepto, vtut *graeco*, ciuitate tamen latina donato, & *tecnico*: *baemorrhagiam*, repetimus, quum sit sanguinis fluxus, *hepaticam*, quod ex hepate, *intestino-hepaticam*, quod ex isto in intestina sanguis promanat, *intestino-hepaticam* porro a potiori, secundum regulas istius modi vocabulorum combinationis, & ex dicta ratione, quoniam prima eius scaturigo in hepate est, nec ideo denique *hepatico-intestinalem*, aut nude *hepaticam*, vt ab aliis *hepaticis baemorrhagiis* discernatur, quae etiam non esse possunt *hepatis baemorrhagiae*, licet in hoc viscere remotiorem sui habeant rationem.

§. 74. *Haemorrhagia* (αἱμορραγία) dicitur a vocabulis graecis αἷμα, sanguis, & ραγῖναι, quod vocabulum ex GALENI sententia idem apud HIPPOCRATEM denotat, quod ἀδρόως ὀρμᾶν, cum impetu & confertim prodire. Vid. IOH. GORRAEI *Defin. med.* p. 11. ed. *Francof. ad Moen.* 1578. ANUTHI FOESII *oeconomia Hipp.* p. 8. ed. *Geneu.* 1662. Vnde & hodie non nulli *baemorrhagiae* vocabulo non nisi copiosum sanguinis cum impetu effluxum significari volunt. Vid. ILL. van SVVIETEN *Comment. in BOERHAVII Aphorism. T. I. §. CCXVII.* p. 344. coll. *T. III. §. clvII.* p. 250 & Cel. SCHREIBER in der *Anweisung zur Erkenntnis und Kur der vornehmsten Krankheiten. Cap. XVIII.* pag. 169. Verum neque vocis ἔρυμον, neque GALENI explicatio, neque ipse denique HIPPOCRATES, no-

bis adeo arcte loquendi necessitatem imponunt. HIPPOCRATES quidem moderatum lentumque sanguinis effluxum ἑρρύσιν, ac lene illius stillicidum σταλαγμὸν adpellat, at *haemorrhagiae* nomine semper & ubique non nisi largiorem, & cum vehementiori quodam impetu coniunctum, effluxum designari, id vero probari nequit. Deinde res potius, quam modum, quo eas technice exprimi oporteat, HIPPOCRATEM docere nos voluisse, est statuendum. Id vel sola docet illius doctrina de *haemorrhagia narium*. De hac enim ubi loquitur, nude eam dicit *haemorrhagiam*. Testem huius adserti citamus GALENUM, cuius verba *Comment. I. in Lib. III. Epid.* ita habent: Ἀιμορραγίαν ὃ ἹΠΠΟΚΡΑΤΗΣ καλεῖ ἄνευ τοῦ προσθεῖσθαι τὸ μέρος, ἐξ οὗ χεῖται τὸ αἷμα, τὰς ἐκ τῶν μυκτήρων ἀποτετελημένας. Denique post HIPPOCRATEM & GALENUM, quorum temporibus tot tam variae erant vocabulorum migrationes, ita inualuit *latior* termini huius acceptio, ut, recedere ab ea, nefas foret. Quorsum accedit, quod illa in se quoque minus commoda esset futura. Deficeret enim terminus generalis, omnibus istius generis profluuiis designandis communis.

§ 75. Iam nunc (§. 39.) stabilire licet firmum ipsius *rei praesentis fundamentum*, cui superstruenda est omnis reliqua morbi huius cognitio. Succedit nempe

P. II.

HAEMORRHAGIAE INTESTINO-HEPATICAE NOTIO DEFINITIVA.

§. 76. *Haemorrhagia intestino-hepatica definite* denotat internam hepatis haemorrhagiam, ex hoc per vasa bilifera ad intestinum duodenum determinatam.

§. 77. *Artis analyticae* praecepta haud finunt, a nobis negligi in *notione totali partiales*, quae illam ingrediuntur, *notiones*, *definite* omnino sciendas. Alias enim aut *plenum definiti conceptum* non habemus, aut, quem habemus, eum cum aliis intelligenter communicare, & distincte explicare nequimus. In integro exactoque aliquo *systemate* istae ex antecedentibus intelliguntur, atque solis paragraphorum *citationibus*

bus vtiliter breuiterque repetuntur. Quum vero, quae heic ita excitare possim, non habeam, & lectorum & mea ipsius interesse iudicaui, in praesenti *Pathologia* ea, quae ad *distinctam* dictorum (§. 76.) cognitionem nos ducunt, altius repeti, explanatiusque expediri.

§. 78. Proximum definiti (§. 76.) morbi *genus*, quod ad easdem leges (§. 77.) ponendum erat, exprimit *hepatis haemorrhagia*. Variam esse huius vocis *potestatem*, *amplio*rem nempe & *arctiorem*, *hac* autem, non *illa*, eam sese nobis heic offerre, ex iis, quae ante dicta sunt (§. 74.), clarum est. Praemissa itaque hac *distinctione*, nil restat, quam, quae sponte ita nobis sit obuia, *definita* illius explicatio.

§. 79. *Haemorrhagia* nimirum, *strictius* (§. 78.), & fin minus plane *apte* (§. 72.), *usitate* tamen (§. 74.), adeoque *technice* dicta, dicit qualemcumque sanguinis in corpore animali contingentem effluxum, seu e canalibus, siue vasis, *strictius* dictis, egressum.

§. 80. a) *Qualemcumque* repeto (§. 79.), siue *modicus* & *lenis*, siue *largior* & *concitator* fuerit, adeoque non solum posteriorem (§. 74, 78.): b) siue porro *naturalis*, siue *praeternaturalis* fuerit, itaque non solum posteriorem. Neque enim omnis *haemorrhagia* praeter naturam contingit. c) *Sanguinis*, addo, cuiuscumque craseos is fuerit, adeoque floridioris, aliisque conditionis. d) *In corpore animali contingentem* supperaddo, siue in isto subsistat, siue extra illud promanet. Neutrum igitur excluditur, e) tametsi *excludantur* alii sanguinis, e corpore animali iam eiectionis fluores v. c. inter farctorum manus (caue, rideas hanc adcuracionem, ne ultra botularios non sapere videare). f) *Effluxum* nominaui, non profluuium, aut qualemcumque sanguinis fluxum, qui *multiplex* est in corpore animali, ubi is tamen nequitquam haemorrhagiae nomine venit. g) Hunc effluxum denique, expressioris *explicationis* loco, dixi *sanguinis e vasis egressum*, unde alias *extravasatio* dicitur: e *vasis* puta, tam sibi dicatis, quam alienis. Ita vero debite distinguitur omnis *haemorrhagia* a sanguinis in alios canales profluuiis, v. gr. sub *inflam-*

mationibus, *pathologice* dictis, ubi ex vasis sanguiferis in alia, sanguini vehendo non dicata, vasa serosa alia deferuntur. Quis vero umquam eius modi sanguinis profluvia haemorrhagias dixit? Ita quoque intelligimus, quae sint, & quomodo differant *haemorrhagica* ab ipsis *haemorrhagiis*. Ecquis itaque, haec omnia sollicite ab se inuicem esse discernenda, non statuerit?

§. 81. Eundem (§. 79.) fere conceptum inuenio in dissertatione de *notis*, *haemorrhagias praesagientibus*, sub praesidio ILL. ANDR. EL. BYCHNERI Hal. Magd. 1755. ventilata, in cuius §. XI. p. 8. doctissimus illius auctor, IOH. CUNR. LUTGERT, dicit: *quoniam protinus in euoluendis variorum singularium sanguinis fluorum nobis insumendus est labor, ut in genere statim intelligant LECTORES, quid rei nunc a me expectari possit, ad DEFINITE significandum QUODCUMQUE SANGUINIS PROFLUVIUM haemorrhagiae usus sum voce, ampliozem adeo, aut, quod vulgo dicunt, LATIOREM habente SIGNIFICATIONEM.* Consensum vides in eo, quod dixi (§. 74.). Quae addi hisce debuerunt, docent proxime antecedentia (§. 79, 80.).

§. 82. Non omnes *haemorrhagiae* sunt *praeternaturales*. Dantur quoque *naturales*. Vnde recte *diuiduntur* α) in *naturales*, & β) in *praeternaturales*. Illae secundum naturae institutum, hae vero contra illud contingunt. Illarum exempla praebent *lochia* & *catamenia*, utrimque scilicet legitime constituta. In *sequiori sexu* hae occurrunt, *potiori* enim nullae sunt *naturales*.

§. 83. Erronee namque pro *naturalibus* habentur *naturium haemorrhagiae* & *haemorrhoides*. Quamvis itaque, *naturalium* respectu, nil commune habeant mares cum feminis, his tamen cum illis maximam partem communes sunt *praeternaturales*. Hinc *praeternaturales haemorrhagiae* (§. 82.) *duplicis classis* sunt, scilicet *sexui* a) *propriae*, b) *communes*. *Sexui propriae* sunt: N) *potiori*, 2) *sequiori sexui propriae*. Illae sunt qualescumque genitalium virilium, internorum & externorum, haemorrhagiae, non exceptis ipsis artificialibus e. g. post venae
sectio-

sectionem in pene, sub sectione herniae scrotalis, castratione, cet. Ad *posteriores* referuntur *catamenia irregularia*, *lochia inordinata*, *haemorrhagiae uterinae*, strictius dictae, aliae *genitalium femineorum haemorrhagiae*. *Vtrique sexui communes* multiplices sunt e. g. *haemorrhagiae narium*, *haemoptoe*, *haemorrhoides*, *haemorrhagiae uterinae*, *mictus cruentus*, aliae quam plurimae.

§. 84. Vulgaris est *morborum diuisio in vniuersales & particulares*. Hanc vero, non nisi certo respectu, trahi huc posse, existimo. *Vniuersalis morbus* vel integri corporis, vel partium illius integrantium, intuitu dicitur. Prioris nominis haemorrhagiam vniuersalem *in se & absolute* impossibilem esse, haud adseuerauerim. Dubitauerim tamen de *externa*, hoc est, *existentiae* illius *possibilitate*, vtut AUCTORES huius exempla habuisse videantur. Spectant huc, quae cumulate recensentur in disp. de *haemorrhagiarum complicatione*, Praefide Cel. MICH. ALBERTI & Respondente GOTTL. CHRIST. WILFROTH *Hal. Magd.* 1752. habita p. 16. *sqq* Primo autem, quae heic adducuntur de haemorrhagia Regis Galliarum, CAROLI VIII. ex omnibus excretoriis procedente, quam habet de SERRES in historia dicti Regis; porro de haemorrhagia religiosae cuiusdam, ex omnibus partium meatibus facta, quae a SCHENCKIO in *Obs. L. 3. de venis & sanguine Obs. X.* e FLORENTINI LEUDANI *Martyrologio* relata refertur; item de haemorrhagia vniuersali ex A. N. C. *Dec. II. An. II. Obseru. CXXXVIII*; postea de *haemorrhagia simultanea* e singulis locis haemorrhagicis in iuvene XXI. annorum, & consimilia, aut cum grano salis sunt accipienda, aut incerta plane. Deinde *haemorrhagiae concurrentes* neque cum *complicatis*, neque cum *vniuersalibus*, sunt confundendae, quorsum spectant historiae, ibidem commemoratae, de haemorrhagiis, e multis locis diuersis vna succedentibus.

§. 85. Quamuis autem respectu totius corporis *vniuersales haemorrhagiae* externam habeant impossibilitatem (§. 84.), adeoque ex superfluo huc traherentur, intuitu tamen integrantium corporis partium, vtiliter admittuntur eae in praesenti de *haemorrhagis* doctrina, eaque tenus *haemorrhagiae*

rbagiae non incongrue *dividuntur* : in α) *uniuersales* , & β) *particulares*.

§. 86. Praeterea (§. 84, 85.) multo *utilius* secundum *partium corporis varietatem* ordinantur *haemorrhagiae* , vel in *uniuersum omnes* , vel *solae* , quae dicuntur (§. 83. b.) , *praeternaturales* , nempe *utriusque sexui communes*. Neutiquam vero putandum est , idem hoc fieri posse in *generali alicuius systematis delineatione* , ubi doctrinae rationi plane dissentaneo modo combinarentur diuersissimae indolis morbi. Quam plurima huius commatis *schemata Pathologica* in lucem prodeunt , sed quae ubique *absona* , & docentibus atque discen- tibus *inutilia* , immo ipsis aegrotis *ominosa* sunt. Heic vero occurrunt eiusdem & nominis & conditionis morbi , quo- rum genus subiectas species & *theoretice* & *practice* concinno, eodemque in re ipsa fundato , exhibet nexu.

§. 87. Commode autem inde (§. 86.) dispescuntur in *haemorrhagias* I) *capitis*, II) *trunci*, III) *artuum*. *Capitis* in *haemorrhagias* a) *cranii*, b) *partium*, *cranio subiectarum*. *Trunci* in *haemorrhagias* α) *colli*, β) *thoracis*, γ) *ventris*. *Artuum* in *haemorrhagias* κ) *superiorum*, λ) *inferiorum* artuum cet. Quibus omnibus, utpote per se clavis , nos immorari , opus non est.

§. 88. Propius (§. 87.) ad eam haemorrhagiam , cuius *Nosologiam definitivam* euoluimus , (§. 2.) accedamus. Haec ad *ventris haemorrhagias* pertinet , quas inter eminent *hypochondriacae*. Hae variae iterum sunt , tam in dextro , quam laevo hypochondrio. Hypochondriorum regiones ex con- suetis dimensionibus anatomicis notae sunt. In hypochon- drio dextro situm est *hepar* , nobile illud & principale cor- poris viscus. *Hepatis haemorrhagiae* aliae *externae* sunt , aliae *internae*. Nec haec , per se plana , fusius explananda esse, censeo. *Internarum hepatis haemorrhagiarum species* est prae- sens. *Species* , inquam. Dantur enim aliae *internae hepatis haemorrhagiae* , ubi sanguis ex vasis sanguiferis non in dictos (§. 76.) canales biliferos , sed in reliquam hepatis substantiam effunditur , adeoque ab hac discernendae sunt , nec *intestino- hepaticae* dici possunt (§. 73.).

§. 89. Haemorrhagia igitur, circa quam versamur (§. 2.), est a) *haemorrhagia hypochondriaca*, b) inter hasce & alia mala hypochondriaca *hepatis haemorrhagia*, c) has inter *interne hepatis haemorrhagia* (§. 88.), d) interque has denique *intestino hepatica*, proxime ita denominanda (§. 73.). Hoc nexu pathologico (§.) cohaerent praesentes doctrinae, nullis, alias sollemnioribus, hiatis diremtae, aut inordinata rerum successione disiectae.

§. 90. Cur autem proximi generis loco posuerim *hepatis haemorrhagiam*, nec eam, ut in definito, dixerim *hepaticam*, haec subfuit ratio. Non omnis *haemorrhagia hepatica hepatis* est *haemorrhagia*. Hepatica quoque est, quae causam habet in hepate, & extra hoc viscus alibi tamen prorumpit, adeoque non est ipsius *hepatis haemorrhagia*. Hoc ipsum quidem aliquid derogare videtur definito, illiusque aptitudini. Verum non ubique suppetunt *termini*, hoc respectu omni exceptione maiores. Vbi proinde ii saltem seligendi sunt, qui aptitudine sua alios ad minimum antecellunt (§. 40.). Id quod heic observatum esse (§. 72, 73.), existimo.

§. 91. Plana hac (§. 82-90) via ita deventum est ad *proximum* (§. 78.) *definiti morbi* (§. 76.) *genus*. Multum hoc refert. Attamen non omne trahit momentum in *desideranda* (§. 41.) hodiernum, exactiore *pathologia definitiva*. Haud, inquam, sufficit nosse, de quo quilibet morbus proxime sit genere. Expedit quoque quam maxime, scire, cuius notae *speciatim* is sit in suo genere. Expedit intimius perspicere, quae eius, quod aiunt, sit *differentia specifica*.

§. 92. Haec (§. 91.) in praesenti morbo perspectu perquam facilis est. Ad hanc exprimendam dicitur, *ex hepate per vasa bilifera ad intestinum duodenum determinata, haemorrhagia* (§. 76.). Ita & clare, & adposite, haec haemorrhagiarum *species* exprimitur & discernitur ab omnibus aliis, tam hepatis ipsius, dictarumque partium, quam reliquis, quoquot earum sunt, corporis humani haemorrhagiis. Non *ab hepate*, sed *ex hepate*, oriri dicitur, quoniam plures dantur, *ab* hepa-

hepatis vitio productae, nec tamen in & ex ipso hepate erumpentes, &, quae ex eo propullulant, non ab hepate solo oriundae sunt, sed aliunde etiam inducuntur. *Praepositio* illa enim causam efficientem technice designat. Nominatur ejus ex hepate ortus ea latitudine, ut qualiscumque eiusmodi fluxus inuoluatur, *sive* is ex *arteriis*, *sive* ex vena portarum, *sive* ex hepaticis seorsim, *sive* ex pluribus omnibusue scaturiuerit. Haud vero omnis inde nata, haemorrhagia ea est, de qua loquimur. Occurrunt hepatis haemorrhagiae ad alia, quam ad dicta, vasa determinatae. Ad hoc discrimen proxime exprimendum dicenda fuit hepatis haemorrhagia, *ad vasa bilifera*, *perque haec ad intestinum duodenum*, *determinata*, *repeto*, *sive* in poris vasisque biliferis cruor substitit, *sive* in ipsum intestinum deducatur, *sive* porro ex hoc per superiora, *sive* per inferiora, *sive* utraque via eliminetur, *sive* denique omnibus dictis modis suum non amplius inueniat exitum.

§. 93. Amplus se nunc panderet campus anatomicus, splanchnologicus & angiologicus, in quem excurrendum heic esse, videri posset. Quin immo non nullis forsitan eiusmodi additamenta minus superflua videri potuissent, quam ea, quae in antecedentibus dixi, & dicturus sum in sequentibus. Videas sane multos in expediendis rebus suis pathologicis, aliisque, vel praesentissimis, parce parcos, at in hisce tamen mirum quantum prodigos. Atat *reapse superflua non superflua* & *reapse non superflua superflua haberi* & *videri*, *videre malo*, *quam extra oleas vagari*.

§. 94. Isthaec (§. 93.) heic omnino praesumere licet, aut aliunde excitare. Quae igitur huc spectant, rerum anatomicarum gnarus, animo tecum repetito, aut, si placet, adito auditoque, qui haec tradiderunt, superioris praesentisque aevi Anatomicos. Vide sis, maxime huc trahenda, *anatomica* potius, quam *physiologica*, in HALLERIANA *Physiologia*, quam *physiologicas*, potius *anatomicas*, utpote longius ductas, *primas exhibente lineas*. Perlustrato, quas legisse te paenitebit numquam

quam , & quales fortasse non quaesiveris in *physiologia* tam *angusta*, amplissimas, atque per multos §phorum & paginarum numeros exquisite ductas, *lineas anatomicas*, quibus abunde & ad vivum depinxit *hepatis fabricam*. C. XXVII. §. DCLXVIII-DCLXXXII. Vix ac ne vix quidem, mihi crede, vel ex iis ipsis, qui separato studio in tradendis rebus *anatomicis* toti sunt, se tibi offeret vllus, a quo de hoc viscere plura in adeo contracto compendio exhibita, expectare possis *anatomica*, quae contra in *physiologicis institutionibus* praesupponenda omnino esse, statuit Cel. CHRIST. GOTTL. LUDVVIG in *instit. physiol.* c. IV. §. 64. c. V. §. 244. c. VI. §. 277.

Errata typographi potiora.

P. 2. *pertissimus* l. *peritissimos*. P. 3. lin. 14. *nostris* l. *nostris*. P. 5. lin. 16. *qua* l. *quam*. P. 6. lin. 25. *indicabis* l. *indicabis*. P. 7. lin. 18. *prohibet* l. *prohibet*. §. 1. lin. 7. *ante quam del. illa*. §. 2. lin. 8. *occupet* l. *occupat*. lin. 9. *definitiva* l. *definitiva*. §. 3. lin. 3. *iubor* l. *subeor*. §. 5. lin. 3. *symbologica* l. *symbologica*. §. 11. lin. 5. MATTHEMATICIS l. MATHEMATICIS §. 12. lin. 7. *rerum*, *quam verborum* l. *verborum*, *quam rerum*. §. 14. lin. 16. *Pathologica* l. *Pathologica*. §. 17. lin. 20. *αυτοψία* l. *αυτοψία*. §. 20. lin. 13. *Iuueniemus* l. *Inueniemus*. lin. 17. *post morbos add. nos*. §. 22. lin. 12. ETMULLERUM l. ETTMULLERUM. lin. 19. THONES l. THONER. §. 24. lin. 9. *delectio* l. *detectio*. §. 31. lin. 17. *odornandi* l. *adornandi*. §. 34. lin. 1. *summas* l. *summae*. lin. 2. *exaquant* l. *exaequant*. lin. 9. *ista* l. *istae*. §. 35. lin. 4. *Pathologia* l. *Pathologici*. §. 36. lin. 11. *ante tam pone α*). lin. 12. *ante tempera-menta pone β*). lin. ead. *ante climatum pone **). lin. 13. *a*) leg. *β*). §. 39. lin. 1. *potius* l. *potiora*. §. 42. lin. 11. *illum* l. *illam*. §. 43. lin. 12. *sed* l. *quam*. §. 51. lin. 11. *deiciuntur* l. *deiciuntur*. §. 52. lin. 5. GULTORF l. GUTTORF. lin. 6. PANAROLAM l. PANAROLUM. §. 54. lin. 1. BARONS l. BARON. lin. 6. *Abhandlung* l. *Abhandlungen*. lin. 7. *Aut* l. *Interpr.* lin. 10. *inquit* l. *inquit*. §. 59. lin. 8. *δυσεντερία* l. *δυσεντερία*. §. 64. lin. 6. *cinnam* l. *cinnamomi*. lin. 11. *productus* l. *productis*. §. 74. lin. 16. *stillicidum* l. *stillicidium*.

NOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO
VTRIUSQUE
MEDICINAE CANDIDATO

S. P. D.

DISPUTATIONIS PRAESES.

Constat omnino inter omnes , quam non infrequen-
tes sint in orbe litterario praetoriae veluti eorum
cohortes , qui vel plane , ranarum ritu , in liberis tur-
bidorum consiliorum paludibus oberrant , coaxantque , vel
leuioris alicuius exercitus more , turmaeque instar emis-
sitiae , Plautina dico , peruagos & erroneos agunt , miri-
fice volubiles , & inconstanti circumfrementium excur-
sionum suarum strapitu , quidquid lubet , ubique ten-
tantes , sed nusquam numquamque , quod stabile es-
set , praestantes , adeoque suis facile fulgentes vexil-
lis , insignite conspicuis trito isto :

IN OMNIBUS ALIQUID , ET IN TOTO

N I H I L.

TU contra , NOBILISSIME DN. CANDIDATE,
ex quo , quis quamque funestus turbulenta eius mo-
di litterarum studia sequatur exitus , praesensisti,
alia ad gloriam grassandum esse via , sapienter iudicasti.

Nec

Nec minus prudenti consilio constitutum TIBI fuit, quantum ingenium viresque valuerunt, ordinatiori stabiliorique rerum medicarum indagini TUOS impendere labores. Ex quo praesertim intellexisti, sine genuinis distinctisque morborum notionibus, ubique in omnibus reliquis sciendis agendisque rebus medicis, nos caecutire, adeoque Nosologiam definitivam inter desiderata medica quam maxime referendam esse: de hac praecipue sollicitum TE fuisse, cognoui sub ipsis adhuc exercitiis nostris clinicis, quibus in cognitione medica, tam theoretica, quam practica, ad ipsum praxeos per indiuidua exercitium adplicanda, hucusque occupati fuimus. Sub iisdem aliis quoque modis TUAM comprobasti diligentiam & dexteritatem in enodandis singularibus oblatis rarioribus morborum exemplis, ut spem facere possim futuris TUIS aegrotis, TE ad ipsorum lectos, diuina adnuente gratia, Practicum fore haud infelicem. Omnium dissectionum demonstrationumque anatomicarum sedulus inter nos non tantum fuisti spectator, sed in ipsa etiam dissecandi arte, cui indefessus studebas, eum tibi comparasti habitum, ut Professoris vices subire tandem potueris. Hisce instructus subsidiis, pari sedulitate chirurgicis interfuisti praelectionibus, theoreticis & practicis, cursui porro operationum chirurgicarum, aliisque, nominatim circa methodum fascias adplicandi institutis exercitiis. Vbi-que itaque specimina, VTRIUSQUE MEDICINAE CANDI-

DATO digna, edidisti, ab aliis, hoc nomen frustra ad-
fectantibus, adhuc fortassis expectanda. Haud igitur
est, cur ita TE salutari renuas. Ipsa haec modestiae
TUAE ratio digniorem hoc TE reddit nomine. Praete-
rea, quod praetereundum non est, nec ubique accidit,
tanta fuit TUA proficiendi cupiditas, ut TE, ad altio-
ra iam adspirantem, exantlatisque examinibus, impe-
trataque inauguralem cathedram conscendendi venia,
numquam puderet, omnes frequentare praelectiones, pu-
blicas aequae, ac priuatas. DEUS coronet opus! Pio
hoc voto TE TUOSQUE saluos esse iubeo, & omni ex
parte beatos.

Dabam e Museo

Non Sextil.

1758.

